

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXX - N. 1

1998

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1998

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO datae <i>Ad tuendam fidem</i> , quibus normae quaedam inseruntur in Codice Iuris Canonici et in Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium	3
Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	7
Ex Allocutione ad quosdam Hispaniae Episcopos Limina Apostolorum visitantes	12
Ex Allocutione ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Visitationis «ad Limina» occasione oblata	14
Ex Allocutione ad quosdam Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Episcopos in Sacrorum Liminum visitatione	19
Ex Allocutione ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis (Minnesota, North Dakota, South Dakota) Sacra Limina Visitantes	22
Allocutio Summi Pontificis ad «Harvard Law School Alumni Association»	26

ACTA CONSILII

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM	27
NOTA EXPLICATIVA: <i>Observations concerning cases in which the pastoral care of more than one parish is entrusted to a single pastor</i>	28
QUAESTIONES QUAE DAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	33
ORATIO EXC.MI PRAESIDIS in coetu speciali Synodi Episcoporum Asiae	36
ORATIO EXC.MI PRAESIDIS in memoriam Rev.mi D. Guillelmi Onclin	39

ACTA SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
NOTA DOCTRINALIS Professionis fidei formulam extremam enucleans	42
CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	
CARTA CIRCULAR a los Excmos. y Revmos. Señores Obispos diocesanos y demás Ordinarios canónicamente facultados para llamar a las sacras Ordenes sobre los escrutinios acerca de la idoneidad de los candidatos	50

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS

CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Sacramentis» (Sessio I)	60
Coetus studiorum «De Sacramentis» (Sessio II)	92
NOTITIAE	131
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	132

COETUS STUDIORUM
« DE SACRAMENTIS »

Sessio II
(dd. 22-27 ianuarii 1968 habita)

Diebus 22-27 ianuarii 1968, in aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas generales Codicis.

Conventibus intererant Exc.mi Ioseph Schneider, Aloisius Oldani; Rev.mi Georgius Medina, Guillelmus Bertrams, Otto Semmelroth, Vincentius Carbone et Ill.mus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius adiunctus, qui munere praesidis fungebatur atque Rev.mus Nicolaus Pavoni, adiutor a studiis; praeterea aliquos conventus participatus est Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.

Non adfuerunt Rev.mi Ioseph Matulaitis-Labukas, Iulianus Voivods, Cyrillus Kurteff, Stephanus M'Bunga, Michael Balaguer, Antonius Leite, legitime impediti.

Quaestio proposita, in hac sessione tractanda, erat: legislatio canonica de subiecto ordinationis (cann. 968-991).

Relationem de quaestionibus propositis paravit Exc.mus Schneider; votum miserunt Exc.mi Oldani et Balaguer, Rev.mi Medina, Carbone, Bertrams, Semmelroth, M'Bunga et Leite.

I. DISCEPTATIO DE SUBIECTO SACRAE ORDINATIONIS

Cann. 968-982

Can. 968


Exc.mus primus Consultor proponit ut ita mutetur can. 968:

§ 1. Sacram ordinationem valide recipere nequit nisi baptizatus vir.

§ 2. Licite eam recipit qui *probatione severe peracta* ad normam ss. canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinarii, praeditus est, neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento».

Rationes sunt:

a) Cum mulieres temporibus nostris multa servitia in opere pastoralis



Ecclesiae praestent et aliquae earum admissionem mulierum ad s. Ordines postulent, clare affirmandum est, baptizatum virum solum esse subiectum ordinationis validae, sane quin dicatur relate ad quosnam ordines haec lex iuris divini sive humani sit.

b) Cum ordinatio candidatorum ineptorum damna et incommoda gravia parere soleat, necessitas probationis verbis adhuc severioribus fortasse inculcanda est.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut hoc modo immutetur:

« § 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus; licite autem, qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus ad normam iuris probatis, iudicio proprii Ordinarii, praeditus sit ».

§ 2. Omitti potest.

Ratio: Disciplina de irregularitatibus et impedimentis videtur funditus immutanda, quia nimia implexa. Quae superveniunt post ordinationem susceptam ad aliam sedem videntur remittenda.

Rev.mus tertius Consultor concordat cum Exc.mo primo Consultore.

Rev.mus quartus Consultor declarat quod textus canonis clare et certe exprimere debet mulieres ordinarie accedere non posse ad Ordines sacros atque vocationem divinam pro subiecto ordinationis requiri.

Em.mus Felici aestimat quod iuridice loquendo attendi debet vocatio canonica potiusquam vocatio divina.

Rev.mus quartus Consultor affirmat quod Episcopi iudicant de vocatione divina.

Rev.mus quintus Consultor declarat se non videre utilitatem excludendi formam positivam can. 968 uti in textu ab Exc.mo primo Consultore proposito, quia forma positiva videtur fortior modus dicendi.

Em.mus Felici affirmat propositionem Exc.mi primi Consultoris fortio-riorem esse textu Codicis actualis, quia clare indicat mulieres omnino excludendas esse ab ordinationibus sacris.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut in can. 968 § 1 addatur: « In unaquaque dioecesi vel Instituto religioso sit peculiaris coetus pro examine candidatorum ad Ordines, cuius votum Ordinarius audire tenetur antequam de ordinatione vel de non ordinatione alicuius subditi decernat ».

Em.mus Felici animadvertit quod in praxi ita est; nam Episcopi debent audire rectores Seminariorum et alios antequam de ordinatione alicuius subditi decernunt.

Exc.mus secundus Consultor declarat: de promovendis ad sacros Ordines iam habentur instructiones Congregationis de disciplina Sacramento-

rum; attamen deferri potest ad Conferentias Episcopales munus statuendi aliquam disciplinam uniformem pro suo territorio.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut haec suggestio transmittatur ad coetum qui de Consilio presbyterali tractat.

Em.mus Felici et Rev.mus tertius Consultor proponunt ut § 2 tractetur ubi de irregularitate et impedimentis normae statuuntur.

Concordant omnes.

Quaestio inde ponitur de corresponsabilitate Consilii presbyteralis cum Episcopo in eligendo candidatos ad Ordines sacros.

Aestimat Rev.mus tertius Consultor quaestionem esse tractandam.

Em.mus Felici proponit ut Consilium presbyterale tantum sit medium informationis in eligendis candidatis ad sacerdotium.

Exc.mus primus Consultor proponit ut textus canonis 968 § 2 sit: « licite ordinatur qui ad normam iuris, probatione peracta, debitis qualitatibus iudicio proprii Ordinarii praeditus est... », etc.

Exc.mus secundus et Rev.mus quartus Consultores proponunt ut ex textu Exc.mi primi Consultoris tollantur verba « neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento ».

Rev.mus tertius Consultor concordat substantialiter cum textu Exc.mi primi Consultoris, sed dissentit propter omissionem mentionis « Consilii presbyteralis ».

Deinde textus canonis 968 proponitur:

« § 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.

§ 2. Licite ordinatur qui ad normam iuris, probatione peracta, debitis qualitatibus iudicio proprii Ordinarii praeditus est (neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento).

§ 3. (in CIC § 2) enuntietur ubi agitur de irregularitate aliisque impedimentis ».

Omnes Consultores consentiunt. Attamen notandum est § 1 enuntiare tantummodo normam canonicam, et eadem non solvi quaestionem theologiam.

Can. 969

Exc.mus primus Consultor declarat ad can. 969: cum secundum decretum *Optatam totius*, n. 2, alinea ultima, opus vocationum fovendarum ab Episcopis promovendum fines singularum dioecesium, nationum, familiarum religiosarum, rituum transcendat oporteat, tenor can. 969 huius rei rationem habere debet.

Insuper quoad incardinationem mutationes in alio loco Codicis tractandae inducendae erunt.

Ergo proponit: Nemo ex saecularibus ordinetur, *nisi* qui iudicio proprii Ordinarii *aut* ecclesiis *propriae iurisdictionis aut ecclesiis alienae iurisdictionis* necessarius vel utilis sit.

§ 2. Episcopo subditum proprium ordinanti, qui in futurum servitio alius dioecesis destinetur, constare debet ordinatum post legitimam excardinationem alteri dioecesi incardinationem iri vel de eius in alia dioecesi servitio praestando conventionem certo initam iri ».

Exc.mus secundus Consultor proponit hunc textum canonis 969:

« § 1. Nemo ex saecularibus ordinetur nisi iudicio sui Episcopi necessarius vel utilis sit ministeriis suae Ecclesiae.

§ 2. Licite tamen Episcopus ordinat proprium subditum de hac re *plene conscium et acceptantem*, qui in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur ».

Rationem allegat sequentem: nisi candidatus ad ordines legitime fuerit edoctus, periculum postea erit ut recuset servitium alius Ecclesiae.

Rev.mus tertius Consultor animadvertit optandum esse ut norma de distributione clericorum inter dioeceses etiam religiosos respiciat et proponit hoc modo textum canonis: « Nemo ordinetur qui iudicio proprii Ordinarii non sit necessarius vel utilis servitio ministeriali dioecesis vel familiae religiosae ». Additur « servitio ministeriali », quae verba ampliora sunt verbo « ecclesiis » et simul ostendunt finem ordinationis, scilicet ministerium hierarchicum.

Paragraphus 2 servari debet. Supponitur tamen cohaerens cum recognitione instituti incardinationis.

Rev.mus quintus Consultor notat can. 968 § 1 proprie loqui de presbyteris, non de familia religiosa.

Exc.mus secundus Consultor censet mentem § 1 esse affirmare quod sacerdotium est ministerium. Codex loquitur tantum de ministerio in dioecesi, dum Concilium Vaticanum II loquitur de ministerio in tota Ecclesia.

Ergo, ipse Exc.mus proponit ut iam dictum est: « Nemo ordinetur nisi iudicio sui Episcopi necessarius vel utilis sit ministeriis Ecclesiae ».

Em.mus Felici proponit ut ita forma activa enuntietur: « Episcopus ordinare potest saeculares qui, proprio iudicio, necessarii sint ministerio Ecclesiae ».

Textus canonis uti ab Exc.mo primo Consultore proponitur magis placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit huic textui aliquas mutationes, ita ut textus fiat:

« § 1. Episcopus ordinare nequit nisi candidatos qui legitimi Superioris iudicio pro Ecclesiae ministerio necessarii aut utiles habentur.

§ 2. Episcopo subditum proprium ordinanti, qui servitio alius dioecesis destinetur, constare debet ordinatum alteri dioecesi secundum praescripta canonum incardinatum aut addictum iri ».

Concordant omnes de hac forma canonis.

Can. 970

1) Canon 970 quoad substantiam servari posse aestimat Rev.mus tertius Consultor. Proponit ut in modo magis positivo exprimatur, sublineando libertatem Ordinarii, retento tamen recursu ad superiorem.

Notat tamen Rev.mus quod in canone agitur de interdictione non autem de permissione.

Exc.mus secundus Consultor invenit aliquam difficultatem in verbis « ex quavis canonica causa » et notat quod causa debet esse omnino determinata.

Rev.mus tertius Consultor consentit cum suggestionem Exc.mi secundi Consultoris, licet aestimet canonem esse superfluum.

Em.mus Felici et Exc.mus primus Consultor aestimant canonem utilem esse et cum eis consentiunt omnes Consultores, excepto Rev.mo tertio Consultore.

Quaestio igitur ponitur utrum canon servandus sit necne.

Omnes Consultores consentiunt ut canon servetur, excepto Rev.mo tertio Consultore.

2) Altera quaestio ponitur utrum textus canonis mutandus sit necne. Exc.mus secundus Consultor proponit ut textus hoc modo immutetur: « Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior potest suis subditis sive accessum ad Ordines, sive ascensum ad Ordines superiores interdicare ex quacumque causa, occulta quoque, sed ipsi subdito manifestanda, etiam extraiudicialiter, salvo iure recursus... ».

Aestimat Rev.mus quartus Consultor non imponendum esse Episcopis ut manifestent causam occultam ipsi subdito.

Rev.mus sextus Consultor censet loquendum esse de causa canonica non de quacumque causa.

Proponitur textus a Rev.mo quarto Consultore et ab Em.mo Felici: « Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior, nonnisi ex causa cano-

nica, licet occulta, modo extraiudiciali, potest suis clericis ascensum ad Ordines interdicere, salvo iure recursus ad Sanctam Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut aliquatenus mutetur textus, ita ut fiat: « Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest suis clericis ascensum ad ordines ulteriores, modo etiam extraiudiciali, interdicere, salvo iure recursus ad Apostolicam Sedem vel, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis, ad Moderatorem quoque generalem ».

Omnes consentiunt de hoc textu.

Can. 971

Rev.mus tertius Consultor declarat canonem quoad substantiam servari posse; aestimat autem eandem ideam in can. 968 § 1 enuntiari posse, et quidem cum respectu ad libertatem candidati.

Omnes Consultores consentiunt ut canon remaneat uti est, et ut inscribatur post canonem 968.

Attamen, proponente Rev.mo Secretario ad. loco verborum « statum clericalem » adhibenda sunt verba « Ordines recipiendos ». Quod ab omnibus approbatur.

Can. 972

Exc.mus primus Consultor, ad mentem Decreti *Optatam totius*, n. 1 ss., proponit hanc novam formam canonis 972: « § 1, 1° Curandum ut vocationes sacerdotales in singulis dioecesibus, nationibus, familiis religiosis, ritibus diligenter ratione habita necessitatum universalis Ecclesiae foveantur.

2° Curandum ut germina vocationis, quae adolescentes pro aetatis suae modo patefaciunt, apte excolantur sive in seminariis minoribus sive in aliis institutis peculiaribus sive alia via et methodo quoad eos, qui extra huiusmodi instituta versantur.

3° Curandum ut iis quoque provideatur, qui maiore aetate divinam vocationem sequuntur.

4° Curandum ut adolescentes qui adspirantes ad sacerdotium in seminariis et institutis ecclesiasticis educantur, studia sic ordinata peragant, ut ipsi ea sine incommodo alibi proseguere possint, si alium vitae statum amplecti desiderant.

5° Omnes adspirantes ad sacerdotium ea humanistica et scientifica institutione ornentur, qua iuvenes in sua cuiusque natione studia superiora inire solent.

§ 2, 1° Seminaria maiora ad sacerdotalem conformationem necessaria sunt atque ibidem adspirantes ad sacerdotium commorari tenentur, dum institutioni doctrinali et pastorali necnon arcte cum eis connectendae spiritali incumbunt.

2° Qui adspirantes ad sacerdotium legitime extra Seminarium maius commorantur, pium habeant et idoneum sacerdotem, ab alumni Ordinario probandum, qui eorum formationi sacerdotali imprimis spiritali, invigilet.

§ 3. Ratio institutionis sacerdotalis, qua res, ad mentem § 2, 1° ordinanda, ad peculiaria locorum adiuncta accommodetur, ab Episcoporum Conferentiis statuenda, certis temporibus recognoscenda atque a Sede Apostolica approbanda est ».

Rev.mus quintus Consultor approbat substantiam canonis ab Exc.mo primo Consultore propositi, sed suggerit has quaestiones concordandas esse cum coetu de Seminariis et alio loco tractandas.

Exc.mus primus Consultor aestimat hunc esse locum aptum ad tractandas quaestiones de colenda vocatione, quia hic sermo fit de vocatione.

Em.mus Felici proponit ut verbum « curandum est » ponatur tantum initio canonis.

Consentiunt omnes.

Rev.mus sextus Consultor videt aliquam difficultatem in n. 5 textus Exc.mi primi Consultoris, ubi agitur de institutione humanistica et scientifica.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod in Synodis Americae Meridionalis postulatur ut Sacerdotes repraesentent varias condiciones sociales, utque nulla ideo habeatur exigentia culturae humanisticae.

Rev.mus quartus Consultor animadvertit necessario attendendum esse ad institutionem humanisticam, quia valde utilis est ad formationem humanam.

Exc.mus secundus Consultor putat quod hic canon tractare non debet de ratione studiorum, quia in Codice agitur tantum de scientia theologica.

Rev.mus tertius Consultor censet quod hoc loco tractari non debet de cultura connexa cum ratione studiorum clericorum, sed tantum de commoratione in Seminario.

Suffragium habetur utrum hic de institutione tractandum sit necne.

Affirmativum responsum dant omnes.

Exc.mus secundus Consultor proponit aliquas mutationes in canone 972 § 1, n. 5 ab Exc.mo primo Consultore proposito: «Omnes aspirantes ad Sacerdotium ea institutione ornentur qua iuvenes in sua cuiusque natione iuxta rationem studiorum a Conferentiis Episcopalibus approbata utiliter sacerdotali ministerio inservire possint».

Proponente Rev.mo Secretario ad., ab omnibus probatur formula sequens huius can. 972 § 1, n. 5: «Quantum de iudicio Episcoporum Conferentiae id sinant circumstantiae, adspirantes ad sacerdotium ea humanistica et scientifica institutione ornentur, qua iuvenes in sua cuiusque natione studia superiora inire solent».

Can. 972 bis

Quaestio nunc est de commoratione clericorum in Seminario.

Rev.mus tertius Consultor proponit hunc textum «omnes ad Ordines adspirantes saltem per triennium in peculiaribus Institutis commorari tenentur, nisi Ordinarius in casibus particularibus gravi de causa dispensaverit, aut agatur de candidatis maturioris aetatis ad diaconatum permanentem destinatis».

Exc.mus primus Consultor praefert verba «Seminaria maiora» loco «peculiaribus institutis» quia clare in Conc. Vat. II commendatur, ut necessaria, Seminaria maiora.

Rev.mus tertius Consultor notat quod Episcopi quandoque dispensant a commoratione in Seminariis peragenda; ceterum hodierni iuvenes saepe contrarii sunt commorationi in Seminario.

Rev.mus quartus Consultor affirmat Concilium Vat. II hortari ut clerici in Seminario propriam formationem peragant; attamen remanere debet distinctio inter studia theologica et philosophica.

Iuxta Rev.mum tertium Consultorem, si sermo tantum fit de Seminario, ratio non habetur de diaconibus qui, secundum M. P. *Sacrum diaconatus ordinem* in institutis quibusdam commorari tenentur.

Exc.mus secundus Consultor petit utrum habeatur exemplum instituti pro diaconibus necne.

Rev.mus Secretarius ad. responderet Episcopos in certis regionibus admisisse principium de diaconatu permanenti, sed non iam adesse instituta peculiariora.

Rev.mus Secretarius ad. proponit novum textum canonis 972 bis: «§ 1. Adspirantes ad sacerdotium, ut debite ad vitam spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria efformentur, debent in Seminario maiori commorari per totum formationis tempus et quidem, nisi iure par-

ticulari aliud statutum sit aut Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, dispensaverit.

§ 2. Qui extra Seminarium legitime morantur, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur».

Textus placet omnibus Consultoribus.

Can. 972 ter

Requiritur novus canon, in quo agatur de aspirantibus ad diaconatum permanentem.

Rev.mus Secretarius ad. textum proponit de aspirantibus ad diaconatum: «§ 1. Adspirantes ad diaconatum permanentem:

1° iuvenes per tres saltem annos in peculiari degant Collegio, in quo, iuxta normas ab Episcoporum Conferentia regionis aut districtus regionalis statutas, ad vitam vere evangelicam ducendam informantur atque ad propria officia rite exsequenda instruantur;

2° maturioris aetatis viri, sive coelibes sive matrimonio coniuncti, aliquandiu, secundum normas ab eadem Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis statutas, in peculiare admittantur Collegium, ut ea omnia addiscant quae ad munus diaconale digne exsequendum opus erunt.

§ 2. Qui vero eorum ob specialia adiuncta extra Collegium formationem legitime recipiant, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eorum curam agat eosque edoceat et ad munus diaconale implendum efformet».

Consentiunt omnes de textu proposito.

Can. 973

Animadvertit Exc.mus secundus Consultor quod hic canon loquitur tantum de clericis qui habent propositum ascendendi ad diaconatum et ad presbyteratum; ergo proponit ut immutetur canon hoc modo: «§ 1. Subdiaconatus illis tantum est conferendus qui propositum habent ascendendi ad diaconatum et presbyteratum.

§ 2. Maneat uti est.

§ 3. Episcopus sacros Ordines nemini conferat quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate ad normam iuris probanda».

Ad § 1

Censet etiam Exc.mus primus Consultor quod, ad mentem Constitutionis dogmaticae *Lumen gentium*, n. 29, huius canonis § 1 mutanda erit; insuper textus denuo corrigendus erit, si quoad ordines minores mutationes inducantur. Ergo proponit: « Can. 973 § 1. Prima tonsura et ordines inferiores illis tantum conferendi sunt qui propositum habeant ascendendi ad gradum Hierarchiae, qui in ecclesia sive universali sive particulari tanquam proprius et permanens statutus est ».

(Aut: « Ad statum clericalem ordinesque inferiores illi soli promovendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum aut saltem diaconatum, prouti diaconatus tanquam proprius et permanens gradus Hierarchiae de consensu Sedis Apostolicae a competenti coetu territoriali Episcoporum statutus est »).

De §§ 2 et 3 haec sequentia proponit: « § 2: (eadem ac § 2 CIC).

§ 3: Episcopus sacros Ordines nemini conferat, quin, *post selectionem et probationem debita animi firmitate peractam*, ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum novum § 1: « Illi soli ad ordinem subdiaconatus admitti debent qui propositum habeant ascendendi sive ad presbyteratum sive ad diaconatum permanentem ».

Ad § 2

Rev.mus tertius Consultor declarat: qui subdiaconus ordinatus est et deinde non vult alios ordines recipere, debet a statu clericali dimitti, quia subdiaconatus, qua talis, non habet consistentiam.

Rev.mus quintus Consultor censet quod canon remanere debet uti est in Codice.

Rev.mus quartus Consultor censet iniustum esse aliquem reduci ad statum laicalem sine iusta causa; Exc.mus primus cum Rev.mo quarto Consultore consentit et dat exemplum subdiaconi qui aegrotat.

Exc.mus secundus Consultor declarat in dioecesi Mediolanensi esse septem Acolythos permanentes cum celibatu.

Rev.mus Secretarius ad. textum proponit sequentem: « Ordinatus qui superiores ordines recipere recuset nec potest ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum Ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa ».

Textus propositus omnibus placet.

Ad § 3

Omnes concordant ut supprimatur haec §, quia, ut affirmat Exc.mus primus Consultor, in canone 968 iam de « probatione peracta » agitur.

*Can. 974**Ad § 1*

Imprimis, aestimat Rev.mus Secretarius ad. forsan cum hoc canone incipi posse titulum « De requisitis in subiecto ordinationis », sed postea de ordine titulorum iudicandum est.

Insuper declarat: in hoc canone omnia enuntiantur quae postea per diversos canones tractantur, excepta quidem necessaria confirmatione et necessaria absentia irregularitatum et impedimentorum. Quare, supprimi potest enumeratio in hoc canone facta, et canon tantummodo affirmare debet necessitatem receptae confirmationis. De irregularitatibus enim et impedimentis postea agitur.

Rev.mus tertius Consultor quaestionem ponit: cur qui ad sacerdotium volunt ascendere, prius debent diaconatus ordinem recipere? Historia teste, ait, diaconi olim directe ad Episcopatum ordinati sunt.

Aestimat autem Rev.mus quintus Consultor servandum esse principium canonis 974, n. 5, quia transitus per ordines inferiores est praeparatio ad ordines superiores recipiendos.

Ad propositionem a Rev.mo Secretario ad. factam, omnes consentiunt varios numeros huius can. 974 supprimi posse, ita ut canon de necessaria recepta confirmatione tantummodo agere debeat.

Quare, uti basim sumens textum ab Exc.mo primo Consultore propositum, Rev.mus Secretarius ad. textum canonis 974 proponit sequentem:

« Licite ordinatur tantum qui receperit Sacrae Confirmationis Sacramentum, quo (quippe quo) baptizatus, iam perfectius Ecclesiae vinculatus et ad fidem testandam arctius obligatus cum sit, ministerio Ecclesiae hierarchico participando magis fiat aptus ».

Ab omnibus probatur hic textus.

Ad § 2

In hac § agitur de qualitatibus requisitis ut quis recipiat consecrationem episcopalem. Haec autem § 2 canonis 974 remittit ad canonem 331, sub titulo de Episcopis.

Aestimant autem Exc.mus primus Consultor et Rev.mus Secretarius ad.

in hoc loco de iis qualitatibus esse agendum. Proponit ergo Rev.mus Secretarius ad. ut normae, quibus determinantur requisita ad Episcopatum, in hunc locum, sub hoc titulo, transferantur, sed tantummodo postquam Coetus «de Clericis» dederit suas conclusiones illa requisita quod spectat.

Omnes consentiunt.

Can. 974 bis

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut habeatur can. 974 bis, in quo agendum est de moribus ordini suscipiendo congruentibus (can. 974 § 1, n. 2): «Ne ordinentur nisi qui, iudicio Episcopi vel superiora maioris, moribus integris sint».

Exc.mus primus et Rev.mus tertius Consultores putant in hoc loco agendum etiam esse de requisitis qualitatibus psychicis candidatorum ad ordines.

Rev.mus Secretarius ad. itaque novum textum proponit:

«Ne ordinentur nisi qui iudicio Episcopi aut Superioris religiosi maioris certo integris moribus aliisque gaudent qualitatibus physicis atque psychicis ordini recipiendo congruentibus».

Consentiunt omnes.

Can. 975

Rev.mus tertius Consultor de aetate minima pro presbyteratu, aestimat aetatem 24 annorum expletam esse generaliter insufficientem. Proponit ut aetas minima pro presbyteratu sit 28 annorum.

— Aetas minima pro diaconibus permanentibus coelibatu obstrictis iam stabilita est in M. P. *Sacrum diaconatus ordinem*, n. 5. Proponit ut etiam pro his diaconibus altior aetas statuatur, i.e. vel 27 annorum.

— Pro diaconibus maturioris aetatis, aetas determinatur in M. P., n. 12, et est 35 annorum. Attamen quaedam animadvertenda videntur:

a) *non* clare apparet cur pro coelibatariis provectior aetas exigatur quam in n. 5;

b) secunda phrasis n. 12 innuit interpretationem potius moralem aetatis requisitae; quod si ita est, clarius dicendum esset.

— Pro diaconibus in via ad presbyteratum suadet aetas 25 annorum ut supra dictum est sub litt. b), nisi melius videatur aetas 26 vel 27 annorum.

— Pro subdiaconatu proponit aetatem minimam 23 annorum.

His positis proponit novam redactionem canonis 975:

§ 1. Subdiaconatus ne conferatur ante vicesimum tertium annum completum; presbyteratus vero, ante vicesimum octavum expletum.

§ 2. Ii qui ad diaconatum permanentem destinantur et coelibatum simul amplectuntur, ordinationem recipere nequeunt ante vicesimum quintum (aut vicesimum sextum, imo vicesimum septimum) annum completum.

§ 3. Qui vero ad diaconatum permanentem accedunt et iam uxorati sunt, ordinationem recipere nequeunt ante tricesimum quintum annum expletum, sed oportet insuper ut matrimonium ordinationem plures annos antecesserit.

§ 4. Dispensatio super aetatis defectu qui annum excedat specialiter S. Sedi reservatur (M. P. *De Episcoporum muneribus*, IX, n. 6).

§ 5. Conferentia Episcopalis statuere potest provectiorem aetatem pro Ordinibus suscipiendis, circa quam praescriptionem tamen Ordinarius in casibus particularibus dispensare potest (M. P. *Sacrum diaconatus Ordinem*, n. 5).

Affirmat ipse Rev.mus quod processus multiplicantur ad obtinendam dispensationem ab obligationibus ex Sacerdotio in disciplina latina promanantibus; hac via (maturior aetas) res saltem ex parte componi possunt.

Exc.mus primus Consultor notat quod difficultas observandi coelibatum saepe saepius oritur in maturiore aetate. Insuper aestimat Conferentiarum episcopalium esse provectiorem aetatem pro ordinibus suscipiendis statuere.

Rev.mus quintus Consultor animadvertit quod in Instructione Sacrae Congregationis Seminariorum dicitur expresse «expleto quarto anno» S. Theologiae.

Rev.mus tertius Consultor animadvertit M. P. *Sacrum diaconatus Ordinem* statuisse pro diaconibus permanentibus lege s. coelibatus obstrictis aetatem 25 annorum, quod certe innuit Summi Pontificis mentem saltem indirecte de hac re. Ergo pro diaconibus maior requiritur quam pro presbyteris, pro quibus nempe aetas requiritur 24 annorum (can. 975).

Rev.mus quartus Consultor, qui aderat in Commissione Conc. Vat. II, declarat Patres consultores timuisse quod clerici postquam ad diaconatum accesserant ascensum ad presbyterarum maluissent. Censet servandum esse canonem 975.

Exc.mus primus Consultor notat quod iam in suo voto scripsit, scilicet: «Episcoporum est decernere pro singularum regionum condicionibus

de protrahenda aetate, § 1 statuta, necnon de longiore intervallo inter diaconatus et presbyteratus ordinationem». Hic oritur quaestio utrum Episcoporum aut Conferentiarum Episcopaliū sit decernere de protrahenda aetate necnon de longiore intervallo inter diaconatus et presbyteratus ordinationem.

Exc.mus primus et Rev.mus quintus Consultores aestimant Episcoporum esse decernere de aetate.

Rev.mi tertius et quartus Consultores atque Secretarius ad. contra censent quod Episcopi pro singulis casibus decernere debent de aetate ordinandorum, sed Conferentiae Episcopales statuere debent normam pro sua quaeque regione.

Rev.mus tertius Consultor iterum ponit quaestionem de aetate pro diaconibus requisita.

Rev.mus Secretarius ad. legit textum M. P. *Sacrum diaconatus ordinem*, n. 12: «Grandior, de qua agitur, aetas attingitur quinto et tricesimo anno expleto; et tamen ita est intelligenda, ut nemo ad diaconatum vocari possit, quin diuturno vitae vere christianae exemplo, integris moribus et ingenio ad ministrandum proclivi, cleri fideliumque exstimationem sibi conciliaverit», et notat quod hic agitur de iis qui se destinant ad diaconatum permanentem.

Rev.mus quintus Consultor aestimat normam n. 12 de aetate opportunam esse, quia tirocinium per tres annos pro diaconibus, insufficiens videtur.

Exc.mus primus Consultor commendat ut in canone dicatur semper intercedere debere intervallum sex mensium inter diaconatum et presbyteratum.

Rev.mus tertius Consultor novam formulam textus proponit: «Aetas minima pro presbyteratu est 24 annorum; aetas minima pro diaconatu eorum qui ad presbyteratum destinantur, est 23 annorum; aetas minima pro diaconibus, qui ad diaconatum permanentem se destinant, est 35 annorum».

Consultoribus autem non placet haec formula.

Rev.mus quartus Consultor instat ut remaneat disciplina statuta uti est:

- 1) aequiparari non possunt qui ad presbyteratum se destinant et qui ad diaconatum permanentem se praeparant;
- 2) non videtur opportunum mutare disciplinam hodie vigentem quoad presbyteros et quoad diaconos permanentes;
- 3) crisis quae hodie habetur apud non paucos sacerdotes non est imputanda aetati ordinationis, sed formationi.

Rev.mus Secretarius ad. declarat etiam aetatem pro subdiaconis esse statuendam. Pro subdiaconatu eorum qui sese destinant ad presbyteratum Exc.mus primus Consultor proponit ut non ordinentur ante annum 21 aetatis.

Aestimat autem Rev.mus quintus Consultor sufficere ut dicatur subdiaconatum conferri non posse nisi ante tres saltem menses ante diaconatum.

Rev.mus tertius Consultor censet pro subdiaconatu requiri aetatem saltem 23 annorum, sed addit Episcopis in diversis regionibus relinqui posse iudicium. Instat etiam ut specialis habeatur paragraphus de aetate eorum qui ad diaconatum permanentem sese destinant.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum canonis sequentem: « § 1. Presbyteratus ne conferatur nisi iis qui aetatis annum vicesimum quartum expleverint; qui ad presbyteratum destinantur, admittantur ad subdiaconatum tantummodo post impletum saltem aetatis annum vicesimum secundum, ad diaconatum tantum post expletum saltem aetatis annum vicesimum tertium, et ita ut intervallum intercedat sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum.

§ 2. Ad diaconatum permanentem ne admittantur coelibes, qui scilicet lege coelibatus adstringuntur, nisi post expletum saltem vicesimum quintum aetatis annum; qui matrimonio coniuncti sunt, non nisi post expletum saltem tricesimum quintum aetatis annum ».

Placet omnibus textus propositus.

Instat Rev.mus tertius Consultor ut addatur § in qua Episcopis aut Episcoporum Conferentiis relinquatur facultas aetatem provectiorem requirere.

Consentiunt alii.

Proponit igitur Rev.mus Secretarius ad. textum sequentem, uti textum eiusdem canonis, §§ 3 et 4:

« § 3. Integrum est Episcoporum Conferentiis regionum ecclesiasticarum aut districtuum regionalium normam statuere qua provector, non autem inferior, ad presbyteratum et ad diaconatum permanentem requiritur aetas.

§ 4. Dispensatio ultra annum super aetate ad normam §§ 1 et 2 requisita soli Sedi Apostolicae reservatur ».

Textus ab omnibus approbatur.

Antequam considerantur alii canones (can. 976 Codicis et ss.), a Rev.mo Secretario ad. legitur textus canonum iam praeparatorum, et rogantur Consultores ut iterum eosdem considerent, sententiam suam proferentes.

Ad canonem 972

Rogat Rev.mus Secretarius ad. utrum in n. 1° servari debeat vox «ritibus», cum Codex conficiendus sit Codex Ecclesiae Latinae.

Consentiunt autem Consultores vocem servandam esse: id requirit spiritus missionalis Ecclesiae, et in certis regionibus adsunt clerici ritus Orientalis sub regimine Episcopi Latini, ut in Germania (ita Exc.mi primus, secundus et Rev.mus sextus Consultores).

Rogat Rev.mus sextus Consultor utrum in n° 2 mentio seminarii minoris servari debeat, quia dubium est utrum seminaria minora sint aptiora loca quam alia instituta.

Etiam Rev.mus Secretarius ad. censet seminaria minora non esse aptiora quam certa alia instituta et quam familias. Proponit autem ut mutetur textus hoc sensu: «ut germina vocationis, quae adolescentes pro aetatis suae modo patefaciunt, apte excolantur, sive in seminariis minoribus aliisve institutis peculiaribus, sive extra huiusmodi instituta educantur»; probatur textus.

Ad canonem 973, §§ 1 et 2

Probantur ab omnibus.

Ad canonem 974

Exc.mus primus Consultor praefert verbum «instituantur», loco «admittantur», in n. 2° huius canonis.

Omnes Consultores approbant, excepto Rev.mo quinto, cui perplacet verbum «admittantur».

Ad canonem 974 (loco can. 975 Codicis):

Forma positiva servanda est.

Ad canonem 976

De moribus requisitis; forma positiva est servanda, iuxta omnes.

Ad canonem 977

In eo de aetate requisita agitur per 4 §§: ad § 2 huius canonis, rogant Exc.mus primus et Rev.mus tertius Consultores ut ultra requisitum aetatis exigatur aliqua stabilitas vel duratio matrimonii. Itaque Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem: «Ad diaconatum stabilem ne admit-

tantur coelibes, qui scilicet lege coelibatus adstringuntur, nisi post expletum saltem vicesimum quintum aetatis annum; qui matrimonio coniuncti sunt, nonnisi post plures annos ab inito matrimonio atque expleto saltem trigesimo quinto aetatis anno».

Probatur textus.

Can. 976

Agitur de tempore ordinationis per respectum ad studia peracta.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut deleatur mentio tonsurae.

Probatur ab omnibus.

Item proponit textum sequentem pro hoc canone: «Nemo sive saecularis sive religiosus ad subdiaconatum promoveatur ante expletum secundum annum curriculi studiorum ecclesiasticorum, tamen pro iis qui, maturioris aetatis cum sint, ad diaconatum permanentem vocantur, Episcopus prudenter decernat tempus huius ordinis collationis (M. P. *Sacrum diaconatus ordinem*, nn. 9, 14, 15)».

1) Exc.mus primus Consultor circa tempus collationis ordinum proponit hunc textum: «Firmis praescriptis can. 975, subdiaconatus ne conferatur nisi maior pars institutionis theologicae absoluta sit; diaconatus nisi circa initium ultimi anni huius institutionis; presbyteratus nisi versus eius finem».

Rev.mus tertius Consultor praefert hanc formam: «li qui ad sacerdotium destinantur possunt ad diaconatum admitti durante ultimo anno curriculi studiorum».

Rev.mus quintus Consultor putat spatium relinquendum esse clericis inter examina et s. Ordinationem.

Rev.mus tertius Consultor concordat cum Rev.mo quinto Consultore et proponit textum: «Caveant Episcopi coeterique Ordinarii ut ordinationes sufficienter separentur a temporibus in quibus examina perficiuntur, ita ut paci et tranquillitati ordinandorum satis consulatur».

A Rev.mo Secretario ad. ponitur quaestio utrum ad presbyteratum clerici ordinari debent tantum post expletum curriculum studiorum an «versus finem» ipsius curriculi.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut «expleto quarto anno ideoque Episcopi possint perdurantibus vacationibus clericos ordinare».

Exc.mus primus Consultor praefert formam «versus eius finem».

Exc.mus secundus Consultor proponit paragraphum ubi Episcopo conceditur ius imponendi clericis ut ipsi, post cursum studiorum, per con-

gruum tempus, in vita pastorali partem habeant, et diaconalem exercitent ordinem.

Rev.mus sextus Consultor una cum Exc.mo primo Consultore notant in Germania clericos per semestrem ultimi anni partem habere in vita pastorali.

Em.mus Felici et Rev.mus tertius Consultor censent quod magnum intervallum temporis, intercedere debeat inter examina et ordinationem ad vitandum periculum nimiae fatigationis in ordinandis.

Exc.mus primus Consultor animadvertit vitandum esse textum quo postea exigi possit dispensatio ex parte Episcopi. Dispensatio est vulnus legis.

Fit suffragatio de quaestione posita a Rev.mo Secretario ad. de tempore sacrae Ordinationis cum sequenti exitu:

Exc.mus primus et Rev.mi quartus et sextus Consultores praeferunt «versus finem curriculi studiorum».

Exc.mus secundus et Rev.mi tertius et quintus Consultores ac Secretarius ad. e contra praeferunt «expleto ultimo anno».

Ergo maioritas praefert «expleto ultimo anno».

2) Alia quaestio ponitur: utrum Episcopis aut Episcoporum Conferentiis tribuenda sit facultas tempus ordinationis presbyteralis protrahendi.

Exc.mus primus Consultor censet illam facultatem Episcopis esse tribuendam, quia adiuncta sunt diversa vel possunt esse diversa in variis dioecesibus.

Rev.mus quintus Consultor autem aestimat illam facultatem habere posse effectus odiosos.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut statuatur: «Conferentiae Episcopales statuere valent ut post expletum studiorum curriculum, diaconi per congruum tempus in activitate pastoralis partem habeant».

Exc.mus primus Consultor instat ut haec facultas tribuatur Episcopis.

Rev.mus Secretarius ad. proponit formam emendatam: «Episcopi, etiam si opportunum id ipsis videatur, in Episcoporum Conferentiis, statuere valent ut post expletum studiorum curriculum diaconi per congruum tempus in cura pastoralis partem habeant, diaconalem exercentes ordinem, antequam ad presbyteratum promoveantur».

Placet textus.

3) Quaestio ponitur utrum servari debeat can. 976, § 3 Codicis.

Exc.mus primus Consultor proponit ut servetur § 3, ita autem ut valeat pro presbyteris et pro diaconis.

Rev.mus quintus Consultor censet servandam esse § 3 uti est in Codice.

Rev.mus tertius Consultor aliam formam proponit: «Studia ad ministerium praeparatoria perfici debent in institutis a competenti auctoritate probatis, et secundum rationem pariter approbatam, ad normam can. ...». Addit insuper praevidendum esse possibilitatem dispensationis.

Instat Rev.mus quintus Consultor ut servetur § 3 ut est in Codice.

Respondet autem Rev.mus tertius Consultor difficultatem in eo esse quod in multis regionibus non adest distinctio inter studia philosophica et theologica.

Declarat Exc.mus primus Consultor regulam requiri, non vero strictiorem quam in Codice.

Proponit Rev.mus Secretarius ad. textum sequentem: «Institutio theologica peragi debet in institutis a competenti auctoritate probatis, et secundum rationem studiorum pariter approbatam, salvo can. ... (de possibilitate dispensationis ab Episcopo)».

Probatur textus ab omnibus.

Cann. 977-978

Antequam de his canonibus agatur, quaestio iterum est de tempore ordinationis in studiorum curriculo (can. 976 Codicis).

A Rev.mo Secretario ad. proponitur ut in canone tres habeantur §§:

§ 1. Nisi ob specialia adiuncta Episcoporum Conferentia aliud statuerit, candidati ad presbyteratum promoveri tantum possunt ad subdiaconatum post expletum secundum annum curriculi studiorum philosophico-theologicorum, ad diaconatum post expletum penultimum eiusdem curriculi annum, ad presbyteratum post expletum integrum studiorum curriculum.

§ 2. Episcopi, etiam, si id ipsis opportunum videatur, in Episcoporum Conferentiis statuere valent ut post expletum studiorum curriculum diaconi per tempus congruum in cura pastoralis partem habeant, diaconalem exercentes ordinem, antequam ad presbyteratum promoveantur.

§ 3. Aspirantes ad diaconatum stabilem ad subdiaconatum ne promoveantur nisi post initum ultimum annum suae institutionis, ad diaconatum nonnisi post expletum formationis tempus.

Textus omnibus placet.

Ad canones Codicis 977 et 978, consentiunt omnes unum solum canonem ex iis conficiendum esse, brevioris quidem et generalem.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut remaneat textus canonis 977, et quidem hic solus.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut eidem canoni addatur re-scriptum canonis 978, § 3, reliquis suppressis.

Placet omnibus et rogatur Rev.mus Secretarius ad. ut componat textum.

Rev.mus Secretarius ad. postea proponit textum:

« Ordines gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur; numquam, nisi de peculiari Summi Pontificis licentia, duo ordines, uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferri possunt ».

Placet textus omnibus.

Cann. 979-982

Quaestio est de titulo ordinationis.

1) Omnes consentiunt cum propositione facta ab Exc.mo primo Consultore et Rev.mo Secretario ad., secundum quam titulus beneficii hodie supprimi debet.

Ut notat Exc.mus primus Consultor, hodie rarissime ordinationes fiunt titulo beneficii; insuper, secundum Concilium Vaticanum II, systema sic dictum beneficiale relinquendum vel reformandum est, et princeps locus tribuendus est officio. Inde sequitur titulum servitii dioecesis vel missionis non amplius uti subsidiarium haberi posse, sed uti praecipuum titulum (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20 ss.).

Aestimat Rev.mus tertius Consultor canones ita esse recognoscendos, ut imprimis enuntietur principium, secundum quod congruae et honestae sustentationi clericorum est providendum, utque deinde de particularibus, etiam de titulo ordinationis quaestio sit.

Animadvertit autem Rev.mus Secretarius ad. quaestionem de honesta sustentatione procuranda clericis non respicere titulum de ordinatione, sed tractari ubi de clericis in genere agitur, et revera ibidem iam tractatam esse.

Exc.mus secundus Consultor censet quaestionem de titulo ordinationis momentum magnum habere, quia cum sacerdotes nimis sunt independentes ab Episcopo, obedientiam recusare facilius possunt.

2) Rev.mus Secretarius ad. proponit ut statuatur quod unusquisque clericus saecularis ordinatur titulo Ecclesiae particularis, nisi scripto declararet se habere sufficientes redditus vel sufficientem pensionem; hoc valeret etiam pro missionibus. De eiusdem sententia dici etiam potest quod clerici saeculares ordinantur titulo dioecesis vel missionis, nisi scripto declararet sa-

cerdos se patrimonium vel pensionem sufficientem habere et renunciare sustentationi ab Episcopo et Episcopus acceptet.

Animadvertit autem Rev.mus quartus Consultor Vicariatum Apostolicum non esse proprie Ecclesiam particularem, quia nempe ipsi non praeest Vicarius Apostolicus ut proprius pastor: in Vicariatu Apostolico habetur quidem propria portio Dei, sed non proprius pastor; utrumque autem elementum requiritur ut habeatur Ecclesia particularis proprio sensu.

Respondet Rev.mus tertius Consultor notionem Ecclesiae esse analogam et in certo sensu Vicariatum Apostolicum dici posse Ecclesiam particularem.

Instat autem Rev.mus quartus Consultor, allegans Vicariatus Apostolicos dici non posse Ecclesias particulares: quare, haec expressio hoc in loco non est adhibenda, quia proprie Ecclesia particularis est dioecesis tantum.

Rev.mus tertius Consultor censet etiam sermonem fieri debere de exercitio professionis.

Rev.mus quintus Consultor autem aestimat sufficere ut dicatur «reditus», quod verbum omnia comprehendit.

Rogat vero Rev.mus quartus Consultor, utrum in tali casu titulus sit sustentatio ab Episcopo an redditus.

Consentiunt omnes titulum dioecesis admittendum esse titulum ordinarium.

Rev.mus tertius Consultor quaerit utrum in hoc canone statui debeat quod Episcopi non possunt dispensare.

Rev.mi quartus Consultor et Secretarius ad. respondent constitutionem tituli esse constitutivum iuris pro clerico, et non posse dispensare in hoc iure Episcopum, quia agitur de iure clerici.

3) Differentia facienda est, secundum Rev.mum tertium Consultorem, inter clericos qui sese destinant ad presbyteratum et eos qui intendunt diaconatum permanentem: pro presbyteris, conditio normalis est ut ordinentur servitio dioecesis; pro diaconibus permanentibus conditio normalis est sustentatio proprio labore seu propria professione.

Exc.mus secundus Consultor animadvertit difficultatem in eo esse quod tunc diaconatus fit servitium voluntarium, non hierarchicum.

Cum eo consentit Rev.mus sextus Consultor, allegans principium requiri idem pro omnibus clericis.

Rev.mus quartus Consultor notat ad diaconos provecioris aetatis quod attinet, eos, si ordinantur, hanc habere intentionem ut tempore libero tan-

tum inserviant Ecclesiae. Ideo, saepe Episcopus dicet, saltem implicite: te accipio, si renuntias remunerationi.

Rev.mus Secretarius ad. ideo proponit ut post § 1, in qua principium generale de ordinatione titulo dioecesis enuntiatur, habeatur § 2, quae e potest esse: *sive* «Diaconi, qui civilem professionem exercent, ex perceptis inde fructibus sibi suaeque familiae necessitatibus, quantum possint, consulant»: ita est convenientia cum norma statuta in Instructione de diaconatu permanenti;

sive: «Eidem sustentationi (ab Episcopo) enixe rogantur renuntiare clerici, qui, professionem civilem exercentes, ex perceptis fructibus suis necessitatibus prospiciunt»: ita norma esset generalis, pro omnibus.

Exc.mo primo Consultori non placet haec forma, quia, qui professionem exercet non totaliter sese devovet Ecclesiae.

Rev.mus quartus Consultor animadvertit revera apostolatam remunerari non debere: ergo, aestimat, qui habent sufficientes redditus ad sustentationem, non debent sustentari ab Ecclesia; vox «remuneratio» non est igitur adhibenda.

Concludit Rev.mus Secretarius ad. addendum ergo esse numerum 21 Instructionis de diaconatu permanenti.

Animadvertit ipse Rev.mus canones iam praeparatos «de clericis» esse recognoscendos, quia in canone, in quo agitur de honesta sustentatione clericis procuranda, non agitur de diaconis permanentibus, ad normam Instructionis. Coetus «de Clericis» monendus itaque est. Ad p. 47 Relationis, addenda est praescriptio, v. g. in hoc sensu: «1) Episcoporum Conferentiae est statuere normas communes, attentis tamen adiunctis in dioecesibus vigentibus...; 2) clerici, qui civilem professionem legitime exercent, ex perceptis inde redditibus suis necessitatibus, quantum possint, consulere debent».

In hoc loco, ubi de titulo ordinationis, generalis norma sequens proponi potest, et proponitur a Rev.mo Secretario adiunctus: «§ 1. Omnes clerici saeculares ordinentur titulo servitii Ecclesiae particularis cui sese stabiliter devovere intendunt, sub auctoritate Ordinarii; huius tituli ratione Ordinarius sufficienti eorum sustentationi, ad normam can. ..., providere debet, nisi clerici scripto declaraverint se suae sustentationi provisuros propriis redditibus certis et Ordinarius acceptaverit.

§ 2. Clerici religiosi ordinentur titulo servitii Ordinis vel Congregationis, sub auctoritate Superioris maioris, cuius erit eorundem sustentationi providere; eadem valet regula de clericis qui alicui societati adscribuntur, nisi in dioecesi incardinentur».

Probatur, saltem ut provisorius, textus propositus.

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

QUI IAM PROBATI SUNT « DE SUBIECTO SACRAE ORDINATIONIS »
(*de quo in CIC cann. 968-982*)

Can. 968

§ 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.

§ 2. Licite ordinatur qui ad normam iuris, probatione peracta, debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinarii, praeditus sit neque ulla detineatur irregularitate aliove impedimento.

(*Can. 968, § 2 Codicis ad alium locum transferendus est*).

Can. 969 (CIC 971)

Nefas est quenquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad ordines recipiendos cogere, vel canonice idoneum ab eisdem recipiendis avertere.

Can. 970 (CIC 969)

§ 1. Licite non ordinantur nisi candidati qui, Superioris legitimi iudicio, pro Ecclesiae ministerio necessarii aut utiles habentur.

§ 2. Episcopo ordinanti proprium subditum, qui servitio alius dioecesis destinetur, constare debet ordinandum alteri dioecesi, ad normam canonum..., addictum iri.

Can. 971 (CIC 970)

Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest suis clericis ascensum ad ordines superiores, modo etiam extraiudiciali, interdicere, salvo iure recursus ad Apostolicam Sedem vel, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis, ad Moderatorem quoque generalem.

Can. 972 (novus)

Curandum est:

1° ut, ratione habita necessitatum universalis Ecclesiae, vocationes sacerdotales in singulis dioecesibus, nationibus, familiis religiosis, ritibus diligenter foveantur;

2° ut germina vocationis, quae adolescentes pro aetatis suae modo patefaciunt, apte excolantur, sive in seminariis minoribus aliisve institutis peculiaribus sive extra huiusmodi instituta educantur;

3° ut provideatur vocationi excolendae eorum, qui aetate maiore eandem sequi intendunt;

4° ut adolescentes adspirantes ad sacerdotium, qui in Seminariis minoribus et institutis ecclesiasticis educantur, studia ita ordinata peragant, ut ipsi ea sine incommodo alibi proseguere valeant, si alium vitae statum amplecti desiderent;

5° ut, quantum de iudicio Episcoporum Conferentiae id sinant circumstantiae, adspirantes ad sacerdotium ea humanistica et scientifica institutione ornentur, qua iuvenes in sua cuiusque natione studia superiora inire solent.

Can. 973 (CIC 972)

§ 1. Adspirantes ad presbyteratum, ut debite ad vitam spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria efformantur, debent in Seminario maiori commorari, et quidem per totum formationis tempus, nisi iure particulari aliud statutum sit, aut Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, dispensaverit.

§ 2. Qui extra Seminarium legitime morantur, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur.

Can. 974 (novus)

§ 1. Adspirantes ad diaconatum permanentem:

1° iuvenes per tres saltem annos in peculiari degant Collegio, in quo ad vitam vere evangelicam ducendam informantur atque ad officia eidem ordini propria rite exsequenda instruantur;

2° maturioris aetatis viri, sive coelibes sive matrimonio coniuncti, aliquandiu, secundum normas ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis statutas, in peculiari instituantur Collegio, ut ea omnia addiscant quae ad munus diaconale digne implendum opus erunt.

§ 2. Qui vero eorum, ob specialia adiuncta, extra Collegium legitime formationem recipiant, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui curam eorum agat eosque edoceat et ad munus diaconale rite implendum efformet.

Art. 1

De requisitis in subiecto sacrae ordinationis

Can. 975 (CIC 973, §§ 1 et 2)

§ 1. Illi soli ad ordinem subdiaconatus admitti debent qui propositum habent ascendendi sive ad presbyteratum sive ad diaconatum permanentem.

§ 2. Ordinatus qui superiores ordines recipere recuset, nec potest ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum Ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa.

(§ 3 can. 973 CIC supprimitur).

Can. 976 (CIC 974, § 1)

Licite ordinantur tantum qui receperint Sacrae Confirmationis Sacramentum, quippe quo baptizatus, iam perfectius Ecclesiae vinculatus et ad fidem testandam arctius obligatus cum sit, ministerio Ecclesiae hierarchico participando magis fiat aptus.

Can. 977 (CIC 974, § 1)

Ad ordines promoveantur ii soli qui, iudicio Episcopi dioecesani vel Superioris religiosi maioris, certo integris gaudeant moribus aliisque qualitatibus physicis et psychicis, ordini recipiendo congruentibus.

Can. 978 (CIC 975)

§ 1. Presbyteratus ne conferatur nisi iis qui aetatis annum vicesimum quartum expleverint; qui ad presbyteratum destinantur tantummodo admittantur ad subdiaconatum post impletum saltem aetatis annum vicesimum secundum, ad diaconatum post expletum aetatis annum vicesimum tertium, et ita ut intervallum intercedat sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum.

§ 2. Ad diaconatum permanentem ne admittantur coelibes, qui scilicet lege coelibatus adstringuntur, nisi post expletum saltem vicesimum quintum aetatis annum; qui matrimonio coniuncti sunt, nonnisi post expletum saltem trigesimum quintum aetatis annum.

§ 3. Integrum est Episcoporum Conferentiis regionum ecclesiasticarum aut districtuum regionalium normam statuere, qua provectior (non autem inferior), ad presbyteratum et ad diaconatum permanentem requiritur aetas.

§ 4. Dispensatio ultra annum super aetate ad normam §§ 1 et 2 requisita soli Apostolicae Sedi reservatur.

Can. 979 (CIC 976)

§ 1. Nisi ob specialia adiuncta Episcoporum Conferentia aliud statuerit, candidati ad presbyteratum promoveri tantum possunt ad subdiaconatum post expletum secundum annum curriculum studiorum philosophico-theologicorum, ad diaconatum post expletum penultimum eiusdem curriculum annum, ad presbyteratum post expletum integrum studiorum curriculum.

§ 2. Episcopi, etiam, si id ipsis opportunum videatur, in Episcoporum Conferentiis, statuere valent ut post expletum studiorum curriculum diaconi per tempus congruum in cura pastoralis partem habeant, diaconalem exercentes ordinem, antequam ad presbyteratum promoveantur.

§ 3. Aspirantes ad diaconatum stabilem ad subdiaconatum ne promoveantur nisi post initum ultimum suae institutionis annum, ad diaconatum nonnisi post expletum formationis tempus.

§ 4. Institutio theologica peragi debet in institutis a competenti auctoritate probatis, et secundum rationem studiorum pariter approbatam, salvo can. ... (praevidente possibilitatem dispensationis ab Episcopo).

Can. 980 (CIC 977 et 978 § 3)

Ordines gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur; numquam, nisi de peculiari Summi Pontificis licentia, duo ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferri possunt.

Can. 981 (CIC 979-982)

§ 1. Omnes clerici saeculares ordinantur titulo servitii Ecclesiae particularis cui sese stabiliter devovere intendunt, sub auctoritate Ordinarii; huius tituli ratione idem Ordinarius sufficienti eorum sustentationi, ad normam can. ..., providere debet, nisi clerici scripto declaraverint se suae sustentationi propriis redditibus certis provisuros, et Ordinarius acceptaverit.

§ 2. Clerici religiosi ordinantur titulo servitii Ordinis vel Congregationis, sub auctoritate Superioris maioris, cuius erit eorundem congruae sustentationi providere; eadem valet regula de clericis qui alicui Societati sunt adscripti, nisi in dioecesi incardinantur.

II. DISCEPTATIO DE IRREGULARITATIBUS ET IMPEDIMENTIS

(*Can. 983-991*)

Can. 983

Prima quaestio, quam proponit Rev.mus Secretarius ad., est utrum inter impedimenta et irregularitates sit retinenda distinctio. Ipse aestimat retinendas esse locutiones, quia in traditione sunt acceptae.

Rev.mus tertius Consultor aestimat verbum «irregularitates» male sonare et rogat ut in hoc loco non agatur de iis, sed ut materia transferatur ad ius poenale.

Rev.mus quartus Consultor et Rev.mus Secretarius ad. respondent irregularitatem, qua talem non esse poenam.

Exc.mus primus Consultor censet verbum retinendum esse, quia ipsa res remanere debet. Consensus inde habetur ut terminus remaneat.

Altera quaestio est utrum textus can. 983 servari possit. Consentiant omnes retinendum esse textum.

Can. 984

In hoc canone enumerantur *irregularitates ex defectu*. Quaestio est quatenam retinendae sint, quatenam non.

1. *Illegitimitas natalium*

De servanda aut non servanda hac irregularitate habetur longior disputatio inter Consultores. Aliqui proponunt ut supprimatur haec irregularitas. Rationes sunt:

a) non amplius valent rationes ob quas introducta est, scilicet defectus considerationis pro illegitimis, qui quidem hodie non, sicut olim, minore consideratione gaudent (ita Rev.mi Secretarius ad. et sextus Consultor);

b) non valet alia ratio, scilicet propensio illegitimorum ad incontinentiam, quia haec ratio etiam valeret de illegitimis legitimatis (ita Rev.mi Secretarius ad. et tertius Consultor);

c) insuper cur retinenda esset, si semper — uti fit — datur dispensatio (ita Rev.mus sextus Consultor);

d) hodie rariores sunt vocationes, et insuper illegitimi non sunt culpabiles huius illegitimitatis, ita ut odiosum videri possit eam irregularitatem servare (ita Rev.mus Secretarius ad.).

Aliqui proponunt ut servetur irregularitas. Rationes allegantur:

a) aestimatio matrimonii, scilicet dignitas matrimonii salvanda requiritur ut servetur haec irregularitas (ita Rev.mus quartus Consultor);

b) si tollitur irregularitas pro presbyteris, videtur servanda pro Episcopis, et ita fit magis odiosa (Exc.mus primus Consultor);

c) scandalum adesse potest, si ordinantur adulterini et incestuosi, ne loquamur de filiis presbyterorum; ergo regula generalis praeferenda videtur (ita Exc.mus secundus Consultor).

Rev.mus quintus Consultor dubitat et aestimat iudicium de admissione illegitimi relinqui posse Episcopo.

Disputatio exinde sequitur.

Exc.mus primus Consultor declarat legitimos et illegitimos nec in iure civili aequiparari.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. hanc differentiam in iure civili respicere ius successionis, sed quaestio est utrum momentum habeat pro ordine.

Instat Rev.mus Secretarius ad., allegans Episcopum recusare posse certos illegitimos, cum ipsius sit iudicare de dignitate candidati, de eiusdem bonis moribus, de aptitudine ad sacros ordines.

Aestimat autem Rev.mus quartus Consultor magis odiosum esse hoc onus relinquere Episcopo. Ipse Rev.mus confitetur facta socialia non obstare ordinationi illegitimorum, sed censet obstare dignitatem matrimonii, quia salvari propter bonum commune debet aestimatio matrimonii, relate ad eos qui ministeria sacra exercere debent.

Rev.mus tertius Consultor declarat Episcopos hodie, ex M. P. *De Episcoporum muneribus* facultatem habere dispensandi, ideoque normam non requiri, sed rem relinqui posse Episcopis, ut iudicent in singulis casibus.

Respondet autem Rev.mus quartus Consultor rationem supra allegatam requirere normam generalem: ratio dignitatis matrimonii obstat quominus suppressio irregularitatis admittatur.

Animadvertit Rev.mus tertius Consultor quod nemo sermonem facit de iis qui nati sunt legitimi, sed quorum parentes separati sunt: eorum ordinatio magis scandalo ansam praebere potest quam ordinatio illegitimorum.

Suffragium habetur de hac quaestione. Eius exitus est sequens:

retinenda est irregularitas haec: ita Exc.mi primus, secundus et Rev.mi quartus et quintus Consultores;

supprimenda est: ita Rev.mi sextus et tertius Consultores atque Secretarius adiunctus.

Itaque, cum maioriore 4 contra 3, retinetur irregularitas.

Remanet itaque n. 1° canonis, sed, omnibus consentientibus, non reservanda est dispensatio Sanctae Sedi.

Tandem, proponente Rev.mo Secretario ad., consentiunt omnes nunc tantum esse agendum de irregularitatibus ad *exercendos* ordines, scil. in parte de ordinum exercitio.

2. *Infirmetas corporis seu vitia corporis*

Hanc irregularitatem servari posse aestimat Rev.mus Secretarius ad. sed alia forma eandem exprimendam censet, quia expressio « corpore vitiati » non placet et dura est.

Exc.mus primus Consultor tamen notat se non scandalizari hac locutione.

Rev.mus quartus Consultor etiam censet retinendam esse irregularitatem, sed reservationem esse supprimendam, ita ut Episcopi dioecesani dispensare valeant.

Aliam formam proponit Rev.mus Secretarius adiunctus: « Qui secure propter corporis debilitatem vel decenter propter eiusdem deformitatem altaris ministerio defungi non valent ».

Suffragium habetur, cuius exitus est:

retinenda irregularitas, nova forma expressa: Exc.mus primus et Rev.mi quartus et quintus Consultores atque Secretarius ad.;

supprimenda est: Exc.mus secundus et Rev.mi tertius et sextus Consultores.

Itaque servatur irregularitas, sed, omnibus consentientibus, tollenda est reservatio.

Instat Exc.mus secundus Consultor ut dicatur: « Qui, iudicio Episcopi, secure etc. ».

Contrarii huic additioni sunt Exc.mus primus et, Rev.mi tertius, quartus, sextus et quintus Consultores.

3. *Irregularitas ex epilepsia, daemonum possessione, etc.*

a) Ad *infirmietatem* quod attinet, Rev.mus tertius Consultor proponit textum magis generalem: « qui infirmitate laborant psychica incompatibili cum sacerdotio ». Talem autem praescriptionem nimis generalem aestimat Rev.mus Secretarius ad., et etiam alii.

Exc.mus primus Consultor declarat se consuluisse canonistam qui de

hoc scripsit et qui proponit: «qui epilepsia aliove morbo cerebri vel amentia conditionibus physico-psychicis subiecti debita laborant aut laboraverunt».

Non placet haec forma Rev.mo Secretario ad., qui aestimat mentionem esse faciendam de iudicio medici pro tali casu, quia non possunt de tali casu iudicare Auctoritates ecclesiasticae. Quocum alii conveniunt. Norma de epilepsia et amentia non potest statui, nisi mentio fiat de peritorum iudicio, quia secus ridiculi sumus.

Formam proponit Rev.mus Secretarius ad.: «Qui, iudicio peritorum, aliqua forma laborant amentiae vel psychici defectus, qua inhabiles redduntur ad ministerium rite implendum».

Consentiunt omnes, sed tamen proponit Rev.mus Secretarius ad. ut ante definitivam textus redactionem consulatur medicus peritus in hac materia.

b) *Ad possessionem a daemone* quod attinet, proponit Rev.mus Secretarius ad. ut supprimatur, quia rarissime dici potest talem casum adesse.

Exc.mus primus Consultor timet ne suppressio declaretur ut defectus fidei in daemones.

Rev.mus quartus Consultor autem respondet eam explicari posse propter abusum qui facti sunt.

Animadvertit insuper Rev.mus Secretarius ad. in foro externo probari haud posse quod quis a daemone possidetur, et ideo supprimendam esse irregularitatem.

Instat Exc.mus primus Consultor allegans irregularitatem servandam esse, si servatur ordo minor exorcistarum.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. hunc ordinem quasi certo suppressum iri.

Etiam Exc.mus secundus Consultor aestimat supprimendam esse hanc irregularitatem, quia casus talis possessionis est exceptionalis, et lex ferenda est pro communiter contingentibus; insuper potestas contra daemones semper considerata est ut non hierarchica, sed ut charismatica.

Supprimitur itaque irregularitas ex daemonis possessione.

4. *Bigamia: qui duo vel plura matrimonia successive contraxerunt*

Rev.mus sextus Consultor declarat hanc irregularitatem fundari in textu S. Pauli, sed, hodie, iuxta multos exegetas, textus S. Pauli intelligendus est de bigamia simultanea. Proponit ergo ut supprimatur haec irregularitas.

Rev.mus quartus Consultor declarat hanc irregularitatem introductam esse propter imaginem « Christi et Ecclesiae », et Orientales bigamiam successivam habere ut delictum.

Respondet Rev.mus sextus Consultor hanc conceptionem esse falsam, quia secundum matrimonium validum est sacramentum.

Rev.mus tertius Consultor proponit etiam ut supprimatur haec irregularitas, et ait: secundum Codicem orientalem secundae nuptiae licitae et validae sunt.

Etiam Exc.mus secundus Consultor censet supprimendam esse irregularitatem: revera hodie etiam datur benedictio nuptialis pro secundis nuptiis.

Suffragium fit, cuius exitus est:

- a) abstinet Exc.mus primus Consultor;
- b) consulatur Secretariatus pro unitate: Rev.mus tertius Consultor;
- c) consulantur orientales: Rev.mus quartus Consultor;
- d) supprimatur haec irregularitas: Exc.mus secundus et Rev.mi sextus et quintus Consultores atque Secretarius adiunctus.

Igitur supprimitur haec irregularitas, sed consuli poterunt Secretariatus pro unitate et etiam Orientales.

5. *Irregularitas ex infamia iuris*

Secundum Rev.mum Secretarium ad. responsum dependet a quaestione utrum infamia iuris ut poena servetur necne.

Rev.mus Bertrams difficultatem habet ex eo quod infamia iuris est poena, ita ut ea potius crearet irregularitatem ex delicto, et non ex defectu.

Conclusio est: remittenda est quaestio usquedum de poenis in specie schema paratum sit.

6. *Irregularitas pro iudice qui sententiam mortis tulit*

Proponit Rev.mus Secretarius ad. ut supprimatur haec irregularitas.

Rev.mus tertius Consultor animadvertit iudicem teneri ad talem sententiam ferendam.

Secundum Rev.mum quartum Consultorem, remanet tamen defectus lenitatis.

Exc.mus secundus Consultor mentionem facit de difficultate pro Codice militari, si servatur irregularitas.

Suffragium habebitur pro n° 6 una cum n° 7.

7. *Irregularitas ex exercitio muneris carnificis*

Iuxta plerosque debet supprimi haec irregularitas.

Suffragium fertur de n° 6 et n° 7:

tolli debent irregularitates praevisae in nn° 6 et 7: Exc.mus secundus et Rev.mi tertius, quartus, sextus et quintus Consultores atque Secretarius adiunctus;

servetur: Exc.mus primus Consultor: rationem dat, quia ab initio ita fuit.

Can. 985

In hoc canone enumerantur *irregularitates ex delicto*.

1. *Irregularitas ex apostasia, haeresi et schismate*

Proponit Rev.mus Secretarius ad. ut clare dicatur agi de delicto et ideo statuatur: «qui delicta committunt de quibus in can. 1325».

Placet haec formula omnibus.

2. *Irregularitas ex recepto baptismo ab acatholicis*

Proponit Rev.mus Secretarius ad. ut tollatur haec irregularitas: casus est exceptionalis, et insuper praescriptum offensivum est pro fratribus seiunctis.

Placet omnibus ut tollatur.

3. *Irregularitas in certis casibus ex matrimonio civili attentato*

Proponit Rev.mus Secretarius ad. ut remaneat textus uti est.

Rev.mus quartus Consultor et ipse aestimat irregularitatem esse servandam, sed ipsi non placet modus dicendi: «civilem actum ponere» et praefert «qui matrimonium, etiam civile tantum, attentare»: ratio est quia matrimonium civile non est merus concubinatus; tale matrimonium non est simpliciter inexistens, licet sit inefficax, quia habetur animus matrimonii.

Rev.mus quintus Consultor aestimat matrimonium hoc, quia non canonicum, esse simpliciter invalidum.

Rev.mus Secretarius ad. concedit differentiam esse faciendam inter inexistentiam et invaliditatem, sed quaerit utrum in casu praevisto canone animus matrimonii adesse possit, cum agatur de iis qui iam matrimonio iuncti sunt et de iis qui ordine sacro tenentur vel votis religiosis.

Proponit ut in canone dicatur: «Qui matrimonium attentaverit aut civile tantum inierit...».

Quaestio ultro est consideranda, et insuper ratio haberi debet de praescriptis quae admittentur in schema de religiosis.

4. *Irregularitates ex voluntario homicidio vel abortu*

Iuxta omnes, retinenda est haec irregularitas. Attamen aliquae proponuntur animadversiones.

Rev.mus quartus Consultor petit ut addatur: « omnes positive coeoperantes »; quod probatur.

Rev.mus sextus Consultor rogat cur dicatur « voluntarium », quia, homicidium est delictum, quod semper est voluntarium.

Rev.mus quartus Consultor notat non sufficere ut fiat ex negligentia. Attamen, remanere potest « voluntarium », quia secus potest adesse difficultas.

Consentiunt omnes ut remaneat.

5. *Irregularitas ex propria mutilatione*

Notatur extensionem huius numeri factam fuisse a S. Congregatione Concilii, scilicet ad mensuras studentium (10 febr. 1923).

Omnes consentiunt ut remaneat irregularitas.

Rev.mus tertius Consultor rogat utrum non sit addendum verbum « graviter ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. gravitatem includi in delicto.

Remanet ergo textus, addito verbo « positive coeoperantes ».

Omnibus consentientibus, reservatio requiritur pro dispensatione.

6. *Irregularitas pro clericis artem medicam exercentibus*

Animadvertit Rev.mus Secretarius ad. non servari in schemate Codicis recogniti expressam obligationem sese abstinendi ab exercenda arte medica, pro clericis. Ergo tolli potest haec irregularitas.

Consentiunt omnes ut supprimatur haec irregularitas.

7. *Irregularitas ex exercitio ordinis quo carent*

a) *Exercitium Ordinis quo carent*

Rev.mus sextus Consultor declarat exercitium tale esse certo illicitum, sed non necessario secumferre debere irregularitatem.

Etiam Rev.mus tertius Consultor aestimat suppressi posse hanc irregularitatem, quia sunt casus exceptionales.

Alii quidam censent casus non esse tam exceptionales: Exc.mus primus Consultor mentionem facit de casu quo aliquis ordinem recepit ab Episcopo antiquo catholico; Rev.mus Secretarius ad. mentionem facit de ordina-

tionibus factis a sic dicto Clemente XV, in Gallia, Belgio et Hollandia; Exc.mus secundus Consultor declarat in dioecesi Mediolanensi tres esse casus ordinationum ab Episcopo orthodoxo.

Admittitur hanc irregularitatem servari posse.

b) *Exercitium ordinis ab eo qui poena prohibetur exercere*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut simplicius affirmetur: «vel ab eius exercitio aliqua poena prohibiti»: enumeratio quae habetur in Codice non requiritur.

Aliqui quaerunt ut supprimatur haec secunda pars n. 7: ita Rev.mi quartus et sextus Consultores. Suffragium habetur, cuius exitus est:

remaneat etiam haec altera pars: ita Exc.mi primus et secundus et Rev.mus quintus Consultores atque Rev.mus Secretarius adiunctus;

supprimatur altera pars: ita Rev.mi quartus et sextus Consultores; Rev.mus tertius Consultor anceps remanet.

Ergo remanet textus, adhibita simpliciore forma a Rev.mo Secretario ad. proposita.

Can. 986

Proponit Rev.mus Secretarius ad. ut supprimatur hic canon, et in can. 985, initio, addatur: «Sunt irregulares ex delicto, sive publico sive occulto, dummodo delictum post baptismum perpetratum fuerit».

Consentiunt omnes.

Rogat Rev.mus quartus Consultor utrum non addenda sit in can. 985 irregularitas ex infamia iuris.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. illam irregularitatem esse propter poenam, non propter delictum.

Can. 987

In hoc canone enumerantur *impedimenta ad ordines*.

1. *Filii acatholicorum*

Aestimat Exc.mus primus Consultor supprimi posse, quia practice utilitate caret, cum semper dispensetur.

Consentiunt omnes, itaque supprimitur.

2. *Viri uxorem habentes*

Secundum omnes servari debet n. 2, sed additio est facienda «nisi ad diaconatum permanentem legitime destinentur».

Quaerit Rev.mus tertius Consultor utrum aliquid sit addendum de protestantibus qui convertuntur.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. nil dicendum esse, quia in tali casu datur dispensatio.

3. *Qui officium vel administrationem gerunt...*

Iuxta omnes, remanere potest, sed notat Rev.mus Secretarius ad. exceptionem faciendam esse pro diaconis permanentibus, exceptionem autem notandam esse ubi de « obligationibus Clericorum ». Monendus est igitur coetus « de Clericis ».

4. *Servi servitute proprie dicta*

Tollatur, secundum omnes.

5. *Qui ad ordinarium servitium militare adstringuntur*

Tollatur, secundum omnes.

6. *Neophyti, donec sufficienter instructi*

Sententiae differunt.

Rev.mus tertius Consultor aestimat tolli posse impedimentum: ipse Episcopus videre debet.

Alii censent remanere posse impedimentum.

Suffragium fit cum exitu: omnes consentiunt ut remaneat, excepto Rev.mo tertio Consultore, rogante ut tollatur.

7. *Qui infamia facti laborant*

Omnes consentiunt ut remaneat.

Can. 988

Omnibus consentientibus, remanere debet canon.

Can. 989

Consentiunt omnes ut remaneat, et, proponente Rev.mo quarto Consultore, ut addatur in fine « *vel abortu* ».

Can. 990

1. In § 1 agitur de dispensatione ab irregularitatibus et impedimentis, et de reservatione dispensationis.

Quaestio tractanda est, attentis dispositionibus M. P. *De Episcoporum*

muneribus. Quapropter legit praescripta huius « Motu Proprio » Rev.mus Secretarius adiunctus:

« Ad irregularitates et impedimenta quod attinet, specialiter S. Sedi sequentes dispensationes reservantur:

1) Ab omnibus irregularitatibus ad forum iudiciale deductis.

2) Ab irregularitatibus et impedimentis *ad ordines suscipiendos*:

a) ab irregularitate ex defectu, si agatur de filiis adulterinis vel sacrilegis, de corpore vitiatis, de epilepticis et amentibus;

b) ab irregularitate ex delicto publico eorum qui a plena ecclesiastica communione scienter defecerunt (cf. M. P. IX, 9, b, aliquantulum recognitum secundum ea quae dicta sunt circa can. 985, 1°);

c) ab irregularitate ex delicto publico eorum qui matrimonium attentare aut civilem actum tantum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro (vel maiore) aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta;

d) ab irregularitate ex delicto sive publico sive occulto eorum qui voluntarium homicidium perpetrarint, aut fetus humani abortum procuraverint, effectu secuto, omniumque cooperatorum;

e) ab impedimento quo viri uxorem habentes prohibentur sacrum ordinem presbyteratus recipere, nisi agatur de iis qui ministerio in communitate acatholica functi sunt, et ad ordines in Ecclesia catholica adspirant (cf. M. P. IX, 9, e, cum addito).

3) Ad exercendos ordines iam susceptos, ab irregularitatibus de quibus in can. 985, 3°, in casibus tantum publicis; et 4°, etiam in casibus occultis, nisi recursus ad S. Poenitentiarium sit impossibilis, firmo tamen onere in ipso dispensato recurrendi quam primum ad eandem S. Poenitentiarium » (M. P. *De Episcoporum muneribus*, IX, 8, 9, 10).

a) *Irregularitas ex defectu, si agatur de adulterinis filiis vel sacrilegis*

Rev.mus Secretarius ad. quaestionem ponit utrum reservatio dispensationis Sanctae Sedi servari debeat.

Aestimant Rev.mi tertius Consultor et Secretarius ad. reservationem non esse servandam: reservatio tantummodo fieri debet, quando adsunt rationes omnino stringentes; insuper practice semper iudicium committitur Episcopo; tandem odiosum videtur in canone sermonem facere de adulterinis et sacrilegis.

Contra, Exc.mus primus Consultor censet reservationem esse servan-

dam, quia in M. P. *De Episcoporum muneribus*, S. Sedes ita statuit. Addit Exc.mus secundus Consultor quod S. Sedes occasione dispensationis conditiones ponere potest.

Suffragium habetur, cuius exitus est:

servatur reservatio Sanctae Sedi: Exc.mi secundus et primus atque Rev.mi quartus et quintus Consultores;

non servanda est reservatio: Rev.mi tertius et sextus Consultores ac Secretarius adiunctus.

Ergo servatur reservatio.

b) *Irregularitas ex defectu propter corporis vitium*

Censent Exc.mi primus et secundus Consultores reservationem esse retinendam, quia timent nimiam varietatem in praxi, si res relinquatur iudicio Episcopi.

Animadvertit Rev.mus Secretarius ad. S. Sedem communiter sese referre ad iudicium Episcopi.

Suffragium habetur cuius est exitus:

tolli debet reservatio: Rev.mi quartus, quintus, tertius et sextus Consultores atque Secretarius ad.;

servetur reservatio: Exc.mi primus et secundus Consultores. Itaque supprimitur reservatio.

c) *Irregularitas ex defectu ex epilepsia et infirmitate psychica*

Rev.mus tertius Consultor censet audiendos esse peritos.

Rev.mus quintus Consultor respondet peritos de reservatione iudicare non debere; aestimat reservationem retinendam esse, quia haec irregularitas potest effectus habere graviores; quocirca, ad urgendam hanc irregularitatem, servanda est reservatio.

Exc.mus primus Consultor declarat quod etiam in hoc casu Sancta Sedes sese referret ad iudicium Episcopi, et quod, si cadit reservatio pro corpore vitiatis, etiam supprimenda est pro mente infirmis.

Rev.mus quartus Consultor declarat reservationem adesse ad urgendam irregularitatem.

Suffragium habetur cuius exitus est:

remaneat reservatio: Exc.mus secundus ac Rev.mi quartus et quintus Consultores;

supprimatur: Exc.mus primus et Rev.mus tertius Consultores atque Secretarius ad. a suffragio ferendo se abstinet Rev.mus sextus Consultor.

Quaestio ergo non est soluta et remittitur ad sessionem proximam.

d) *Irregularitas ex delicto eorum qui a communione plena scienter defecerunt*

Secundum Rev.mum quartum Consultorem reservatio remanere debet, quia delictum supponitur grave, et quidem contra fidem.

Rev.mus tertius Consultor aestimat reservationem supprimendam esse, quia reconciliatio pertinet ad Ecclesiam particularem.

Suffragium habetur cuius exitus est:

remaneat reservatio: ita omnes, excepto Rev.mo tertio Consultore.

e) *Irregularitas eorum qui matrimonium attentaverunt, dum ipsi etc.*

Secundum omnes *remaneat* reservatio, dummodo delictum sit publicum.

f) *Irregularitas ex homicidio et abortus procuracione*

Secundum omnes *remaneat* reservatio.

g) *Impedimentum pro viris matrimonio iunctis*

Secundum omnes *remaneat* reservatio.

Animadvertit Rev.mus Secretarius ad. aetatem requisitam inter impedimenta computari posse.

Aestimat autem Exc.mus primus Consultor aetatem, propter momentum quod habet, in suo loco remanere debere.

Ergo *remaneat* ordo dicendorum uti est.

Animadvertit Rev.mus Secretarius ad. etiam remanere debere reservationem pro irregularitatibus ad forum iudiciale deductis.

Consentiunt omnes.

2. *Irregularitas et impedimenta ad exercitium ordinis*a) *Irregularitates enumeratae in can. 984*

1° qui irregularitatem aut impedimentum habent ad ordines recipiendos, et tamen illegitime ordinantur: consentiunt omnes.

2° qui gravi vitio corporis laborant, quatenus rite functiones peragere non valent: consentiunt omnes.

3° qui epilepsiam contrahunt vel infirmitatem mentis:

Exc.mus secundus Consultor censet quod exigentia plenae sanitatis potest impedire quominus convaleant.

Proponit Rev.mus Secretarius ad. formulam « usquedum Episcopus, consulto perito, id eidem permiserit ».

Consentiunt omnes.

4° qui infamia iuris laborant; dici potest: qui infamia iuris vel facti laborant, usque dum cessaverit.

Consentiunt omnes.

b) *Irregularitates enumeratae in can. 985*

Admittitur quod sequentes irregularitates impediunt ordinis exercitium:

1° delicta contra fidem de quibus in can. 1325, si sint publica;

2° delictum eorum qui matrimonium attentant, dum ipsi etc.;

3° delictum homicidii et abortus procurati;

4° delictum propriae mutilationis;

5° delictum ex positione actuum ordinis, quo carent.

c) *Impedimenta*

Impedit ordinis exercitium impedimentum de quo in can. 987, 3°.

d) *Ad reservationes* quod attinet, conferatur textus M. P. *De Episcoporum muneribus*, n. 10.

3. § 2 *canonis*: admittitur quod remanere debet pro casibus pro quibus adhuc valet.

Can. 991

§ 1 *canonis*: remaneat, iuxta omnes.

§ 2 *canonis*: remaneat, et addatur etiam « et abortu », iuxta omnes.

§ 3 *canonis*: enumeratio canonis est odiosa; dici potest: valet pro omnibus ordinibus usque ad presbyteratum.

§ 4 *canonis*: remaneat, iuxta omnes.

In proxima sessione iterum de his canonibus agendum est, et insuper postea determinetur materia considerata.

N. PAVONI
Attuario

W. ONCLIN
Segretario aggiunto